

sacerdotes facti, ducant vitam valde molestam inter juges lapsus, vel etiam ne scandala praebeant.

4<sup>o</sup> E consuetudine peccatorum alius speciei generatim non exsurget obligatio differendi s. ordinis susceptionem. Exeipienda tantum foret consuetudo prorsus inolita ebrietatis: nam haec, perinde ac peccatorum luxuriae frequentia, hominem vinculis vix abrumpendis constringit et scandalis, toti ordini clericali maxime nocituris, latam viam pandit.

## CAPUT II.

### DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM.

28. Agemus hic de officiis, tum positivis, tum negativis, quae incumbunt universim clericis, saltem iis qui majoribus ordinibus initiati sunt vel beneficium ecclesiasticum possident. In sequenti autem Cap. dicemus de obligationibus propriis eorum clericorum qui peculiare munus assumpserunt, ex quo nova officia nascantur.

Praeter istas legibus determinatas obligationes, multas alias observare debent clerici, ob statuta vel praecepta quae singulis imponuntur a praelatis suis. His enim praestare debent oboedientiam quae *canonica* dicitur et tamquam materiam habet quidquid necessarium est ut iidem praelati jurisdictionem suam in subditos, pro legibus in Ecclesia vigentibus, exercere valeant. Hanc oboedientiam episcopi, in ipsa ordinatione sua, jurejurando R. P. promittunt; eandem saeculares clerici episcopo dioecetano, regulares praelato regulari spondent, dum presbyteri ordinantur. Hujus neo-presbyterorum promissionis effectus est ut virtute fidelitatis, sub levi obligante, se ligent ad exsequenda ea ad quae jam vi status sui erga episcopum vel praelatum tenebantur. (Gasp. de s. Ordin. n. 1070) Quare dioecesim suam, invito episcopo, relinquere vetantur, saltem si alicujus ecclesiae servitio adscripti fuerint. Quodsi nulli ecclesiae sint adscripti, regulariter episcopus eis denegare nequit litteras *excorporationis*, modo constet fore ut alius episcopus eos clero suo adscribat. Hodie tamen, praesertim ubi penuria sacerdotum laborat dioecesis, episcopus eos retinere poterit, modo eis stipendium et officium assignet. Cfr. Act. S. S. t. 5. p. 477 seqq.

Quid autem in specie presbyteris saecularibus praecipere possit episcopus, e ss. Canonibus et receptis consuetudinibus cognoscendum est. Nequit sane iis imponere obligationes quibus auferrentur facultates quae ipsis ex jure communi hodierno competunt, puta morandi apud consanguineos, habendi bona propria, etc. Ideo S. C. C. 25 Jan.

1895 respondit episcopo Montisvidei postulanti num sacerdotes suos obligare posset ad suscipiendam regulam instituti Ven. Holzhauser: "Ad propositam vitam communem clericos posse allici, non obligari." (Act. S. S. t. 27. p. 675)

### § I. DE CAELIBATU SERVANDO.

29. I. In Ecclesia latina, clerici omnes qui subdiaconatu initiati sunt, non tantum prohibentur sub gravi quominus matrimonium ineant vel matrimonio jam contracto utantur, sed insuper ex peculiari obligatione religionis, tenentur abstinere ab omni actu, sive interno, sive externo, contra castitatem.

II. Haec obligatio, quae *caelibatus ecclesiastici* dicit solet, non oritur ex jure divino. Id clare patet e more qui, tolerante S. Sede, viget in Ecclesia graeca: nam clericis graecis, qui, antequam diaconatum susciperent, conjugati erant, permittitur ut uxore sua utantur, nisi ad episcopatum provehantur. Cfr. Trid. Sess. 24. can. 9, ubi lex caelibatus ecclesiastici diserte nuncupatur *ecclesiastica*. Legem hanc, ipsorum Apostolorum moribus inductam, jam saeculo iv<sup>o</sup> varia Concilia urgent de sacerdotibus et diaconis; ad subdiaconos autem eandem extendit S. Greg. Magnus: "Nullum facere subdiaconum praesumant episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit." (Decr. Grat. dist. 28. c. 1.)

III. Ex illa lege ecclesiastica factum est ut, in Ecclesia latina, susceptioni subdiaconatus adnexum fuerit votum, saltem implicitum, castitatis. Id manifeste patet e multis documentis ecclesiasticis; speciatim ex cap. un. de Voto (6<sup>i</sup> Decr. l. 3. t. 15), in quo Bonifacius VIII declarat sollemne esse votum quod in susceptione ordinis sacri emititur, et ex cap. *Cum olim* (Decr. l. 3. t. 3 c. 6) in quo Innocentius III talis voti consuetudinem in Ecclesia occidentali manifeste supponit, dum scribit: "Nos igitur attendentes quod orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contractant, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto, etc."

Attamen plures AA., ut S. Alph. (l. 6. n. 808), tamquam probabilem habent sententiam: obligationem caelibatus in clericis non ex voto, sed ex sola Ecclesiae lege oriri. Sed, ut erudite exponit Ball. P. (n. 18 seqq.), sententia illa procul aberat a mente Theologorum qui, tamquam ejus fautores, allegantur. Hi enim non inquirebant de ratione e qua immediate oriatur obligatio caelibatus, sed de principio immediato nullitatis matrimonii quod clericus in sacris constitutus attentaret. Hoc posterius recte

dixerunt esse solam legem ecclesiasticam, quae votum susceptioni ordinis adnexum sollemnizavit (Cap. un. de Voto cit.), illudque impedimentum dirimens effecit. Immo, si illa sententia tamquam probabilis admitteretur, probabile quoque foret clericum non peccare contra religionem actibus internis castitati contrariis: siquidem sententia communior Theologorum negat ab Ecclesia praecipi vel vetari posse actus mere internos. Cfr. Vol. I. n. 92.

**30. IV.** Obligatio caelibatus incumbit iis omnibus qui voluntarie s. ordinem suscipiunt, etiamsi ignorarent eam illius susceptioni adnexam esse. Nam qui sponte statum suscipit, simul etiam consentit in ea omnia quae cum hoc statu sunt indissolubiliter conexas.

Qui metu gravi coactus s. ordinem suscipit, ad castitatem servandam non tenetur, ut e pluribus S. Sedis decisionibus constat. Attamen, si casus contingeret, semper ad Sedem Ap. recurrendum foret, antequam sic ordinatus se gereret, praesertim publice, tamquam hac obligatione immunem. Cfr. Feye, de Imp. Matr. n. 507.

Si quis vero, dum subdiaconatum suscipit, expresse nollet se ad servandam castitatem obligare, is certe teneretur ad hanc pravam voluntatem, Ecclesiae legi adversantem, deponendam. Immo, etiamsi in ea perseveraret, jam ob legem illam teneretur ad castitatem, saltem in actibus exterioribus, servandam; probabiliter tamen a peccato sacrilegii immunes forent actus ejus interni contra eandem virtutem. (Ball. P. n. 27)

## § 2. DE COHABITATIONE CUM MULIERIBUS.

**31.** Leges ecclesiasticae de cohabitatione clericorum cum mulieribus latae sunt ad avertendum periculum quod sacrorum ministrorum castitati imminet, vel scandalum quod, etiam secluso isto periculo, in plebe oriri possit e cohabitatione clericorum cum quibusdam mulieribus. Ideo earum legum compendium iis quae modo de caelibatu dicta sunt subjiciemus.

**I.** Lex ecclesiastica vetat ne clerici aliquas mulieres in domo sua retineant " nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam, aut etiam eas idoneas personas, quae fugiunt suspicionem. " (Conc. Nic. I. apud Grat. dist. 32. c. 16) Hinc secum retinere possunt consanguineas in primo et secundo gradu, affines in primo gradu vel etiam in secundo, dummodo alter alteri reverentiam debeat, qualis esset uxor defuncti patris aut avunculi. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 2. n. 2) Attamen talis cohabitatio

jam non liceret, si a persona consanguinea non abesset suspicio vel periculum: siquidem praesumptio cedit veritati. (Reiffenst. in eundem tit. n. 3) Insuper licet clericis, servitii causa, alias feminas secum tenere, dummodo sint provectoris aetatis et honestae famae.

**II.** Penes episcopos est super hac materia pressius determinare quae leges communes generali tantum ratione praescribunt, ex. gr. statuendo certam aetatem infra quam ancillae admitti nequeant. Immo non excederet jus suum episcopus qui ediceret nullam mulierem ad hanc cohabitationem admitti posse, nisi prius a se probata fuerit. Hoc enim nihil aliud foret nisi invigilare ut servetur regula generalis ab Innoc. III statuta (Decr. tit. cit. c. 9): " Cum clericis quoque non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari. " Attamen nefas foret episcopo per modum regulae generalis prohibere ne clerici sui cum ulla omnino femina cohabitent: eo quod ita auferret facultatem jure communi factam. (Bened. XIV, de Syn. l. 11. c. 4. n. 7; Aichner, Comp. J. Eccl. § 72)

Unusquisque igitur, praeter legem communem, attendat ad peculiaria dioecesis suae statuta. Videsis Stat. Syn. Mechl. n. 36 seqq.; Conc. Balt. III. 81.

## § 3. DE HABITU ET TONSURA.

**32. I.** Ubique regulae instar habendum est: oportere ut vestitus clericos a laicis discernat, et dignitati ipsorum condicionis congruat. Ita statuit Trid. (Sess. 14. de ref. c. 6): " Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. "

**II.** Non viget hodie lex universalis quae jubeat clericos deferre vestem ad talos usque productam. Id quidem praescriptum fuerat a Sixto V, Const. *Cum Sacrosanctae* (9 Jan. 1588). Sed consuetudine contraria et RR. PP. tolerantia factum est ut vestis talaris deferenda sit tantum in obeundis sacris functionibus et praecipue in Missa celebranda. (Aichner, op. cit § 74) Attamen ex Trid. (l. c.) clerici in vestitu deferendo se gerere debent " juxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum. " Oportet igitur ut, praeter legem universalem Ecclesiae, servent Ordinarii praescriptiones.

Hodie, plerisque in locis, urgetur delatio vestis talaris nigrique coloris,

vel ubi in publicum prodeunt atque intra saepta ecclesiae sacras functiones obeunt (ut Stat. Mechl. nn. 29-33), vel saltem domi et in templo (ut Conc. Balt. III. n. 77).

Praeterea statui solet ut, ubi vestis talaris non est deferenda, assumantur vestes nigri vel saltem subobscuri coloris, ad genua usque productae, quibus clericus a laicis distingui possit. (Stat. Mechl. n. 30; Conc. Balt. I. c.) Tali mutationi ubilibet faciendae sufficere videtur causa rationabilis, ex. gr. itineris instituendi. Ut autem assumantur graviores rationes, puta timor injuriarum aut vexationum, vel specialis Ordinarii licentia ab iusta causa concessa. Videsis Stat. Mechl. n. 32.

**33. III.** Lege generali jubentur clerici tonsuram deferre (nisi justa ratio alicubi, consentiente Ordinario, contrarium suadeat). Ita Cap. *Clerici* (Decr. I. 3. t. 1): "Coronam et tonsuram habeant congruentem." Tonsurae autem seu coronae nomine antiquitus veniebat ea crinium compositio quam hodie soli monachi deferunt: nempe ut raso desuper capite in modum sphaerae, et inferius quoque, sola capillorum corona circa caput remaneat. A pluribus autem saeculis jam huic praecepto satisfaciunt clerici saeculares vel regulares, circum aliquid modicum in superiore parte capitis abrasum gerendo. (Reiffenst. in tit. cit. n. 85 seqq.)

Huic praecepto tonsurae deferendae affine est quod datur in eodem tit. Decr. c. 5: "Clericus neque comam nutriat, neque barbam." Manifestum est, vi verborum, praecipere tantum ut coma et barba convenienter tondeantur, neque valde prolixae gerantur, contra illud Apostoli effectum: "Vir, si comam nutriat, ignominia est illi." (1 Cor. XI, 14) Recentioribus temporibus, invaluit in Ecclesia latina usus ut barba a clericis (exceptis tamen Capuecinis) omnino radatur. Haec consuetudo hodie videtur vim legis obtinuisse, extra loca et casus in quibus aliqua necessitas ad barbam deferendam cogat. Nam, ut refert cl. Aichner (op. cit. § 74): "Cum nonnulli ex Bavariae sacerdotibus usum barbam gestandi iterum introducere conarentur, Nuntius Apostolicus Monachii residens, Archiepiscopo Monacensi (4 Maii 1863), nomine S. Sanctitatis, significavit a Bavariae antistitibus omnino curandum esse ut praedictus usus *expresse prohibeatur.*"

Anulum deferre prohibentur clerici "nisi quibus competit ex officio dignitatis." (Decr. tit. cit. c. 15), quales sunt episcopi, abbates, etc. Comae fictae delationem extra Missam clericis permittere vel prohibere ad episcopos spectat: qui hodie illam prohibere non solent, eo quod jam non in vanum ornamentum, clericali simplicitati contrarium, sed unice in calvitiei tegumentum adhiberi solet. Cfr. Bened. XIV, de Syn. I. 11. c. 9. De eadem coma intra Missam ferenda dicitur n. 256.

Plura alia ad externum habitum spectantia clericis vetantur in Jure (Decr. I. 3. t. 1): quae, utpote nostris diebus obsoleta, omittimus.

**34. IV.** Subjectum harum legum sunt clerici in ordinibus majoribus constituti, et ii qui beneficio ecclesiastico fruuntur. Cfr. Const. Sixti V, *Cum Sacrosanctae*. Reliqui vero clerici iisdem subjiuntur tantum conditionate, nempe si volunt frui privilegio fori: nam Trid. (Sess. 23. c. 6) decernit nullum hoc privilegio fruiturum, nisi clericalem habitum et tonsuram deferat.

**V.** Clerici in sacris constituti vel beneficiati per se graviter peccant si publice habitum clericalem dimittunt. Ita sententia communis Theol. cum S. Alph. (I. 6. n. 825) Rationem afferunt, quod publica delatio habitus laicalis arguit temeritatem et religionis contemptum, juxta ipsum Trid. (Sess. 14. de ref. c. 6). Attamen, omnium consensu, leve est, si vestis clericalis ad breve tempus dimittatur. Immo etiam difficillimum est definire tempus, per quod dimittenda sit ut mortaliter peccetur. Hinc raro talis dimissio gravis reatus arguenda erit, nisi fiat cum animo numquam resumendi vestem clericalem vel cum gravis scandali periculo, puta si clericus tempore bacchanalium per urbem cederet larvatus.

At tonsurae delatio probabilius non praecipitur sub gravi: neque enim ad honestatem clericalis status ejusdem momenti est ac delatio habitus. Multi AA. tonsurae neglectum gravem reputant ob decretum Conc. Later. V sub Leone X: "Clerici in sacris constituti barbam nec comam nutriant, sed tonsuram ferant: si quis contra fecerit, excommunicationem incurret." Sed ex ipso tenore satis patet "tonsuram ferre," in hoc decreto idem esse ac "non nutrire barbam vel comam," ac proinde frustra hanc legem urgeri contra eos qui tonsuram, nostrorum temporum more intellectam, ferre omittant. (Ball. P. n. 283)

#### § 4. DE VITANDIS QUIBUSDAM OFFICIIS SAECULARIBUS.

**35.** Jure naturali, clerici, saltem in sacris constituti, abstinere debent ab omnibus officiis vel actionibus quae impediunt ne proprio officio et ministerio rite fungantur, reverentiam statui clericali debitam minuant vel proximo scandalum praebeant. Praeterea quaedam prohibitiones positivo jure determinantur: quarum praecipuas magisque practicas breviter recensebimus.

**I.** Clerici prohibentur quominus publice et personaliter exercent officium cauponis vel macellarii (Clem. I. 3. t. 1. c. 1), vel alia quae

reputantur **sordida** et clericis **indecora**, ut esset publice agere fabrum, pelles vel coria parare, etc. (Reiffenst. in Decr. l. 3. t. 1. n. 127)

**II.** Abstinerere debent a gerendo **munere procuratoris vel advocati** coram tribunalibus civilibus, nisi causam agant propriam vel ecclesiae suae vel personarum miserabilium aut conjunctarum. (Decr. l. 1. t. 37. c. 1) Ubi agitur de his causis exceptis, ne licentiam quidem episcopi necessariam esse edixit S. C. Ep. et Reg. 8 Maii 1716, siquidem facultas ipso jure conceditur. (Ball. P. n. 286)

**Pupillorum tutelam** suscipere nequeunt sine episcopi venia, ut pluries statuit S. C. Conc. (Ferraris, Bibl. can. v. *Clericus*, a. III. n. 83 seqq.) Excipiunt tamen multi tutelam pupillorum ex proxima cognatione clerici.

**III.** Abstinerere debent a gerendis **muneribus publicis**, saltem iis quibus quis publico servitio velut mancipatur, puta praefecti urbis, magistratus vel tabellionis, aut obligatur ad ratiocinia reddenda, puta munus quaestoris. (D'Annib. III. n. 158) Haec enim certe ex iis sunt quae clericis vetantur pluribus Juris textibus, speciatim Decr. l. 3. t. 50. c. 1. juxta 2 Tim. II, 4.

A reliquis muneribus civilibus, neque per veteres canones, neque ex disciplina vigenti generatim arcentur clerici. Sic hodiernis moribus receptum videtur ut licite agant munus deputati ad comitia legislativa vel consultoris municipii. (D'Annib. l. c. nota 21; Aichner, op. cit. § 73) Existimat tamen Aichner (l. c.) hodie communiter requiri consensum Ordinarii ad suscipiendum officium quod totum hominem occupet, quale foret crebro munus professoris in Universitate aut in Gymnasio, etc. Sed cum nulla lex positiva afferatur, necessitas hujus consensus videtur restringenda ad eos clericos quibus Ordinarius uti velit ad officium in sua dioecesi obeundum. Cfr. Vol. I. n. 460.

**36. IV.** Juxta communiorem sententiam canonistarum (ut Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 10. n. 5; Aichner, l. c.) et moralistarum (ut D'Annib. III. n. 158; Gury, II. n. 98), prohibentur clerici **artem medicam vel chirurgicam exercere**, etiamsi illam ante ss. ordinum susceptionem didicerint; quare ad eam exercendam requiritur Indultum Apostolicum, quod reapse ob justas causas concedi solet, non tantum missionariis, sed et aliis clericis, addita tamen condicione ut sine adustione vel incisione exerceatur. Manifestum est, etiam in hac severiore sententia, excipi casum verae necessitatis, quae certe ab hac lege positiva excusat. Huic opinioni adherent Congregationes Romanae, etiam pro locis Missionum, ut videre est in Coll. P. F. (nn. 224, 331 etc.)

Nihilominus non desunt AA. etiam recentes, ut Lehmk. (II. n. 613),

Buccer. (Th. Mor. de Stat. n. 97), Craisson (Man. Juris Can. n. 2062), qui prohibitionem hanc restringunt ad incisionem et adustionem, eo quod in Jure Can. nihil aliud vetitum sit nisi ut clerici medicinam addiscant (Decr. l. 3. t. 50. c. 10) et chirurgiam exerceant quae adustionem vel incisionem inducat. (ib. c. 9.) Reapse textus Juris desideratur, ideoque huic benigniori sententiae, saltem pro conscientiae foro, sua probabilitas negari nequit. Attamen priorem sententiam probabiliorem ducimus ob multas et constantes ss. Congr. decisiones. Notandum quoque plures episcopos usos esse jure, quod ipsis procul dubio competit, prohibendi omne exercitium medicinae vel chirurgiae iis clericis qui Indulto Apostolico carent. Cfr. Stat. Mechl. n. 47; Conc. Balt. III. n. 82. Adustio et incisio, de quibus hic pluries dictum est, vetantur clericis ob periculum irregularitatis, ideoque intellegendae sunt tantum de ea adustione vel incisione e qua oriatur periculum vitae aut mutilationis membrorum. (S. C. de P. F. 27 Jun. 1701; Coll. P. F. n. 339) Cfr. n. 639.

**V.** Vetantur clerici **arma portare**: " Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur. " (Decr. l. 3. t. 1. c. 2.) Haec tamen prohibitio non est intellegenda de armis quibusdam occulte ferendis, sed de publice portandis armis militaribus, ut passim receptum erat tempore quo canon ille a Concilio Pictaviensi (anno 988) conditus est. (Ball. P. n. 288)

Ex hac Juris dispositione sequitur clericos prohiberi quominus militiam saecularem amplectantur, et quidem absolute, si in sacris sunt, condionate, si minores tantum ordines susceperunt, nempe si velint amittere privilegia clericalia vel beneficium quod forte obtinuerint.

Ex dictis patet minime vetari clericos quominus arma deferant ubi justae defensionis necessitas id postulaverit. Aliunde manifestum est peccare eos qui sponte ferunt vel urgent leges iniquas quibus clerici hodie in pluribus regionibus militare coguntur, non autem clericos huic coactioni cedentes vel alios iisdem legibus, ad vitanda graviora mala, materialiter cooperantes.

#### § 5. DE NEGOTIATIONE CLERICIS INTERDICTA.

**37. NOTIONES.** Clericorum nomine hic veniunt ii omnes qui sacris ordinibus initiati vel beneficiati sunt; insuper personae religiosae utriusque sexus, dummodo status religiosi essentiam habeant (n. 73), non tamen novitii, nisi ex quadam decentia. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 50. n. 29)